LAVDATIO FVNEBRIS
D. PHILIPPI III.
HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS,



Dicta in Exequiis eiusdem, solemniter celebratis in Ecclesia Cathedrali Antuerpiensi, die XXII. mensis Maij, M. DC. XXI.

A LAVRENTIO BEYERLINCK
eiusdem Ecclesiæ Canonico & Archipresbytero.







ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
M. DC. XXI.

MAGNÆ VRBIS ANTVERPIENSIS
MAGNI CONSVLES,
MAGNI SENATORES,
PHILIPPO III.
REGI CATHOLICO,
HISPANIARVM ET INDIARVM
MONARCHÆ MAXIMO,
CVLTV REGIO,
RITV CATHOLICO,
ADFECTV MAGNO
HIS DIEBVS PARENTASTIS.
SOLEMNIIS VESTRIS LACRYMAS,
ET LAVDES VOCE INSPARSI:
VTRASQVE BENIGNE EXCEPISTIS.
EAS NVNC TYPIS CONCEPTAS
BENIGNE ETIAM ACCIPITE,
ET ILLVM QVI DEFERT
ÆQVIS OCVLIS ADSPICITE.

APPROBATIO.

LAVDATIO *hæc in Exequiis* D. PHILIPPI III. *Hispaniarum Indiarúmque Regis maximi, dicta à Reuer. Domino* Laurentio Beyerlinck, *Canonico & Archipresbytero Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis, quòd laudatissimi Regis memoriam ad posteros transmittat, & veri Principis imaginem proponat, typis & luce dignam censui, Antuerp. die* VIII. *Iunij, anni* M. DC. XXI.

Zegerus van Hontzum, eiusdem
Ecclesiæ Cathedralis Antuerp.
Canonicus & Pœnitentiarius,
librorumque Censor.

LAVDATIO FVNEBRIS D. PHILIPPI III. HISPANIARVM ET INDIARVM REGIS.





PHILIPPI III. Hiſpaniarum Indiarumque potentiſſimi Monarchæ, Religionis Chriſtianæ indefeſſi propugnatoris, & humani generis deſideratiſſimi Parentis, nuper mortalitate exuti funus pompa ferali inſtauramus; & quod debemus, VIRI REVERENDI, SENATORES AMPLISSIMI, immortalem eius memoriam, pio, ſed repentino laudationis officio proſequimur. O ludibria infelicis vitæ! ô vitrea mortalium vota! ô fugacem hominum ſpem! Ecce: quo Principe ad integrum reſtitui Chriſtiana Res, & Pietas

potuiſſet; in quem intuentes Belgæ, omnium quæ nos aliquando exceperunt calamitatum vulnera obligabamus; quem Sereniſſ. Principi noſtro ALBERTO, ô verè Principi! ô verè Patri! ſi fortè tributum ſuum ab eo Natura, vt hominum res tenui filo pendent, exegiſſet, ſucceſſorem Principem, datâ acceptaque
An. 1616. fide inaugurauimus pridem; improuisò ſublatum, & inexſpectatum funeſtę laudationis argumentũ cernimus. Igitur lacrymas & laudes dabimus: ſed à vobis, NOBILES AC REVERENDI DOMINI, qui funebrem hanc Maximi Regis pompam magno pietatis obſequio; à vobis, SENATORES, qui eamdem cultu regio, adfectu maximo adornatis, excipiendas. Et quidem illas excutiet iuſtus mœror, qui eò acerbior huic vrbi, quò ea nulli alteri obſeruantiâ erga optimum Regem ſe concedere profitetur. Has verò encomium defuncti, & digna Principe virtus vbertim eliciet. Quamuis Regem illum non hæc breuis & ſubita prædicatio, ſed æternus Annalium honos celebrem eſſe faciet, nomenque eius numquam interituris trophæis accumulatum, ad ſeros nepo-

nepotes tranſmittet. Quod enim præſtabilius aut pulchrius Deorum munus, inquirit Plinius, quàm caſtus, & ſanctus, & Dîs ſimillimus Princeps? Talis profectò erat Rex PHILIPPVS; vt ſi, quod de Traiano Imperatore iterùm Plinius, adhuc dubium fuiſſet, fortè caſuque rectores terris, an aliquo Numine darentur, Regem tamen illum conſtaret diuinitus conſtitutum fuiſſe. Eheu PHILIPPE! quantam doloris materiam improuisâ tuâ morte adtuliſti! Quantam laudationis ſegetem mœrentibus nobis, & non niſi ſingultatim verba hæc feralia depromentibus ſuggeſſiſti! Et ſanè, ſi laudandus eras, ſi lugendus, in celeberrimo hoc virorum vtriuſque Ordinis Theatro lugendus eras, in auguſtiſsima hac, & cælorum Auguſtæ ſacratâ Aede laudandus. Siquidem illi te viuentem adhuc & mortalitatis zonâ præcinctum, ceu Numen quoddam terris præſtitum, & velut communem Patriæ Parentem, ac Religionis Catholicæ acerrimum vindicem venerati. Hæc autem celeberrima, ad quam conuenimus moles, veſtigiis maiorum tuorum nobilitata, etiam-

iamnum CAROLI iſtius aui tui mnemoſynon in imo Chori fundamento obſeruat: & PHILIPPI Patris memoria, nobilioribus Comitiorum PHRYXEI VELLERIS hîc
An. 1555. celebratorum inſigniis, ac perenni quam intuemur inſcriptione ſuperſtitat. Feciſſet vtinam ille qui linguas infantium diſertas eſſe facit Deus, vt tam eximij Principis laudator idoneus exiſterem! Cùm nulla ſit etiam maximè torrens dicendi copia, quæ illius encomium narrando exequi valeat. Ideoque reuerentius mihi viſum, integra illibataque nonnulla mentibus veſtris reſeruare, quàm carptim vniuerſa perſtringere. Ergo ſtirps ipſa, & generis magnitudo, quæ Principatui huic initia fecêre, initium etiam dicendi facient. De quibus tamen non aliud dicturus ſum, niſi quod ſciant omnes, AVSTRIACÆ DOMVS primordia, potentiam, triumphos. cuius inclyta gens annos iam plus trecentos in hoc æuum floret, & in omne, Deus vota ſecundet! florebit. Cuius præſidio Chriſtianæ Res firmantur: cuius religione Chriſti Eccleſia aduerſus inferorum portas, Barbaro-

rum

rum inquam indomitam licentiam, & nouitiam perditorum aliquot ad Dei legem cupiditatum ſuarum portenta detorquentium colluuiem, communitur, ne vmquam præualeant. Atque vt commendationi alienæ adhuc aliquantum demus, à Parentibus etiam non minimum decus erepto Regi accedit. quamuis ipſius virtus tanta ſit, vt non ſolis maiorum meritis tituliſque nitatur. Quis enim ita rerum imperitus, qui neſciat CAROLVM illum appellatione nominis QVINTVM, at laude & opinione virtutis primum, de Gallo, Turcâ, Afris, Italis, Germanis triumphantem, ac diuiſas toto orbe Indiarum Prouincias Regnorum ſuorum cumulo adiicientem, hunc in filio ſuo PHILIPPO II. heredem & Imperij ſucceſſorem olim dediſſe? Iam verò PHILIPPI iſtius, quem PHILIPPVS III. patrem habuit, elogia & imagines quis exequatur? niſi quòd extenſa ipſius gloria

— quà brachia longè
Margine terrarum porrexerat Amphitrite,

victoriis quoque & vitâ exſtiterit illuſtris; vel hoc ſolùm victurus, quòd Luſitaniam, opu-

B len-

lentissimum potentissimumque Regnum, septuaginta dierum spatio sibi posterisque subiecerit, & quæ supra annos quingentos reliquâ Hispaniâ fuerat auulsa, restituerit: ANTONIVM qui se Regem ferebat, & in quem plebs vicissim ferebatur, postquam in Regno Castellæ latitantem se gnaro ne repulisset quidem, vno prælio fuderit fugaueritque. Vt nihil adducam de Pietatis & Constantiæ laude, quâ Principes olim laudabilis æui æquauit; factoque sibi vindicauit, NEC SPE, NEC METV. Viuet igitur ille, viuet

Dum domus Aeneæ Capitolî immobile saxum
Accolet, Imperiumq́; Pater Romanus habebit.

Ab his progenitoribus (vt sileam ANNAM, nulli secundam moribus & sapientiâ Heroïnam, quæ mater illi fuit) Pietatem erga Deum, Deique & sacrorum ministros, ac domicilia, & generosæ indolis nobilitatem, morum actionumque grauitatem, velut cum ipso lacte hausit Rex PHILIPPVS, & in omni reliquâ vitâ retinuit.

Natus est autem Madriti, vrbe Regiâ, anno reparatæ salutis octauo supra millesimum & se-

& ſeptuageſimum, menſe Aprili: menſe in- An.1578.
quam, ob inſignes triumphos, feſta, inaugurationes, apud veteres illos Quirites memorabili: die verò XIV. Ægyptij Pharaonis demerſione, & Hebręorum redemptione celeberrimo. Idq́ue eâ oris venuſtate, vt vel in ipſo vitæ acceſſu omnes ingenitam indolis Regiæ imaginem iam in puſione perſpicerent; quamq́ue reliquo ætatis decurſu prę ſe tulit maieſtatem, vultu expreſſam faterentur. Quod tacitè cum animo ſuo expendens prudentiſſimus Regum PHILIPPVS II. reliquis vitâ defunctis, hunc ſibi ſuperſtitem, in Principem Hiſpaniarum, tantorum Regnorum futurum aliquando heredem, vix ſextum à natiuitate annum An.1584.
egreſſum, ſummo omnium plauſu inſtituit, dignumq́ue habuit, quod Aureliano Auguſto Panegyriſtes ille adſcribit, qui Rempublicam patris ſuffragio ſuſciperet. Cui ſolennitati non parum ſplendoris addidere Iaponię Regum Legati, quos illi ab altero orbe ad Gregorium XIII. Pontificem, Chriſti in eo Vicarium profeſſuri, & Catholicę Fidei formulam ſuſcepturi, magnis itineribus miſerant.

Inter hos Imperij fasces educatus Rex PHILIPPVS, & in illâ potentiæ officinâ enutritus, modestiam cum dignitate sapientiæ, comitatem cum grauitate gerebat. Cumque non ignoraret magnitudinis semina coalescere nutrimento disciplinæ, præclarissimis se tyrociniis exercuit, auitæ paternæque virtutis æmulus. Versabatur iam tum in oculis eius Principatus finis, qui est populi bonum, non
Epist. 91. altitudo, aut splendor. *Imperare officium est, non regnum*, ait Seneca; & Græci ἄνακτας Reges dixêre, vt Plutarchus exponit, ἀπὸ τοῦ ἀνακῶς ἔχειν. quod est curam gerere, & tueri. Apud Latinos nomen Regis, compositum regimen & directionem populi suadet; eoq; te vocat, si illud defers. Lubricitatem verò adolescentiæ, quæ ceræ instar in vitium flectitur, inter palatij strepitus sanctissimis legum institutis coërcebat; vt à teneris illi fixum insisteret, à recto rationis tramite ne latum vnguem discedere. In sensu pariter & in cultu eâ erat modestiâ, vt nisi Regem nouisses, priuatam personam induisse æstimares. Hominem se cogitabat, & in altâ illâ fortunâ casum adesse qui deprimat, & con-

constringat: mortem non tardare; quæ ligonibus sceptra, pauperum tabernis Regum turres æquet. *Magis regium*, dixit ad Alexandrum Aristoteles, *animum præferre excultum & compositum, quàm vestem corporis.* quomodo etiam Alexander Seuerus verè pronuntiauit, & seriò, *in virtute Principatum esse, non in decore.* Certè cultus aliquis è cælo in Principem, qui Dei in terris Vicarius & imago est, venit, sic vt commentitio & fucato non sit opus. Sed & Castitas aliis affectata, PHILIPPO fuit congenita. Quippe in liberiore illo Magnatum ludo, oculos mentemque continebat, ne vel minimam inconcessæ libidinis maculam integritati suæ inureret atque in illo ætatis æstu ita se adstrinxit, vt non immeritò Alexandri Macedonis de hac ipsâ virtute erga deuicti Regis coniugem, eiúsque præcellenti formâ filias, memorabili continentiâ testatâ, gloriam attigisse pro comperto sit. Et quia non ignorabat vitam Principis censuram esse in quam omnium oculi conuerterentur, haud secùs quàm ad solis motum herbæ quædam; custodem sibi ipse semet ponebat, qui dicta

Q. Curtius l. III. Histor.

factáque iustitiæ lance trutinaret. Voluebat mente, quod olim Alphonso Arragonum Regi familiare affirmant Historiæ, *Tantò priuatis hominibus Reges meliores esse oportere, quantò honoribus & dignitate antecellerent.* Monet Theodosium Claudianus:

Panorm. lib. 4. de Gestis Alphonsi.

Non tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurrat, mentemq́; domet respectus honesti.

Aureum monitũ, & à Principe vsurpandum!

Ceterùm ambiguo vitæ itineri ductorem, cui venientes annos supponebat, adhibuerat, eoq́ue velut animæ pædagogo, & adfectuum emendatore vsus fuit annis pænè XVI. eximium è sacro Prædicatorum Ordine Theologum, *Ludouicum D'Alyaga*, qui & doctrinæ merito, prauitatis hæreticæ primus Inquisitor per Hispaniam renuntiatus, & sapientiæ prærogatiuâ, ad rerum status Consilium adscitus olim fuerat. Hic deuotissimi Regis animum tam religiosâ moderatione excoluit, & virtutum omnium, quæq́ue harum est basis, pietatis condimento temperauit, vt auditam ferant ab eo nobilem hanc vocem, quam disertissimo suo & Palatij sui Ecclesiastæ *Hieronymo à Floren-*

Florentiâ, è Societate IESV Presbytero & Theologo, edixit: *Mirari se, reperiri homines adeò salutis immemores, qui mentem letali culpâ inquinatam priùs vespere componant ad quietem, quæ suprema fortaßis illis futura, quàm per pœnitentiam expunxerint; seq́ tam temerè duraturis æternùm cruciatibus exponant.* Ex quo conficiamus necesse est, quantum ab omni mentis inquinamento exstiterit alienus, qui illius noxam vel in aliis detestabatur. vnde & ab iis quæ specie minuta videbantur sedulò sibi declinandum ratus, nullum peccatorum suorum conscium magis timebat, quàm semetipsum. *Alium potes effugere*, scribit Seneca, *te autem numquam.* & aliàs: *O miserum te, si contemnis hunc testem!*

Intereà PHILIPPVS II. iam annis & meritis grauis, (LXX. namque & duos numerabat) ex hac statione euocatur, immarcescibilem gloriæ coronam aditurus. Verùm is edoctus quàm benè humeris PHILIPPI filij sui sederet Imperium, vt cuius consilia in rebus arduis fuerat expertus; paulò antè amplissima tot Regnorũ gubernacula ei concesserat. quæ An. 1598.
quidem

quidem ille eâ prudentiæ moderatione inflexit; vt, quod de Magno Theodosio Ambrosius, in illo velut rediuiuum è Patris cinere Patrem omnes agnoscerent, & amplectꝫerentur. Quippe in primo illo, & quo sub cælo maior non est, dignitatis & maiestatis fastigio, eâ cum laude semper versatus est, vt nihil modestæ hilaritati seueritas, nihil sinceritati grauitas, nihil Regiæ maiestati comis humanitas detraheret: neque, quod rarum in viro Principe, adeoq́ue imitandum, vllo vitiorum (quæ nonnumquam inter laqueata tecta Tyriæq́ue vestis colorem delitescunt) confinio, faustis enutrita sub penetralibus indoles læderetur. Equidem vt verè & scitè iterùm Claudianus,

— Numquam sincera bonorum
Sors vlli cõcessa Duci. Quem vultus honestat,
Dedecorant mores. Animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit. Bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitijs. —

Et statim:

— Partitim singula quemque
Nobilitant. —

Cete-

Ceterùm PHILIPPE,

— quæ ſparguntur in omnes,
In te mixta fluunt; & quæ diuiſa beatos
Perficiunt, collecta tenes.

quodq́ue Traiano attribuit Victor, *tantus erat in te rerum maximarum modus, vt quaſi temperamento virtutes omnes miſcuiſſe videreris.* Extollant Annalium monumenta Lycurgum, quòd Lacedęmoniis leges & inſtituta ſalubria prætulerit: Iulij Cæſaris erga hoſtes indulgentiam deprædicent: Numam Pompilium Deorum & ſacrorum veneratio poſteris venerabilem reddat: æſtimetur Octauiani Auguſti munificentia; & Alexandrum Magnum continentia, fortitudo, & liberalitas verè magnum faciant: orphanorum cura Titum euehat, & in ſubditos beneficentia: Traianum, hac Oratione etiam laudatum, optimarum virtutum concentus animiq́ue magnitudo cælo æquent. PHILIPPE, omnium imagines in te lucent, nexuq́ue quodam tibi vni inſunt. Tu ampliſſimũ imperium, quod vtroque orbe extenditur, æquiſſimis legibus es moderatus; Pietate in Deum, & loca illius cul-

tui dedicata, nulli ſecundus. Clementia & benignitas tua erga ſubditos, alienos, hoſtes, orbem vniuerſum theatrum habent. Quantâ verò ſollicitudine in pauperũ curâ deſudaſti? quo adfectu in erigendis Religioſorum cœnobiis, ijſque amplificandis, cumulandis, & bonorum Regiâ profuſione firmandis, adlaboraſti? Quæ omnia cùm rara ſint in te, illud æquè ac magis memorabile, quòd potentiores adfectus, haud ſecùs quàm hortum inambulans papauerum ſumma capita Tarquinius, rationis falce demeſſuiſti; tuique ipſius Rex fueris, perinde ac ſubditorum. Hinc nihil in vitâ expetendum exiſtimaſti, niſi quod & cum laude, & cum honore, & cum dignitate coniunctum arbitrabare. *Regium eſt ita viuere*, inquit pro L. Syllâ Romanæ facundiæ parens, *vt non modò homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ſeruias: contemnere libidines; non auri, non argenti, non ceterarum rerum indigere: populi vtilitati magis conſulere, quàm voluntati: nemini cedere, multis obſiſtere.* Eaque de cauſâ omnes neruos intendebat PHILIPPVS III. vt iis quibus præerat, imò etiam his quibus non præerat, con-

consilio adesset, beneuolentiâ & opibus prodesset; neque sibi tantùm ciues populósque datos, sed se etiam ciuibus populisque datum sentiret. *Moderatori Reipublicæ*, dicit rursus Cicero, *beata ciuium vita proposita sit, vt ea opibus ampla, copiis locuples, virtute instructa inueniatur*. Laudatur Hadriani Imperatoris vox, *Ita se Rempublicam gesturum, vt sciret rem populi, non suam esse. Princeps salutaris*, vt eruditè dictũ est à Plutarcho, *viuum quoddam & verum simulacrum est Dei, qui simul & optimus est & potentissimus. cui bonitas hoc præstat, vt omnibus prodesse velit; potentia, vt quibus velit, possit.* Adhæc erat PHILIPPVS accessu facilis, alloquio blandus. omnes tamquam Principatus membra amplectebatur, omnibus se partiebatur, etiam vilioribus: imitatus RVDOLPHVM illum, à quo gentis Austriacæ splendor primùm illuxit; qui cùm submoueri tenuiores ad se adfectantes per satellitium videret, cum stomacho exclamauit: *Per Deum!* verba ipsius narro, *sinite homines ad me venire. Neque enim ad Imperium me euocauit summus ille Imperator, vt arculâ includar.* In Moralibus.

dar. O Principem tantis liberis nepotibuſque dignum!

Maximum verò ad potentiam comparandam ſtabilimentum eſt contracta cùm potentioribus Regibus affinitas. Imò *præcipuum Principis munus*, monet Atticus Orator, *amicos parare*, vt quibus nullum firmius Imperij inſtrumentum eſt. Huic ſocia eſt ſucceſſio, & hereditas. Vtraque PHILIPPO Regi raro Dei munere obuenêre. MARGARETAM enim AVSTRIACAM FERDINANDI II.
An. 1599. Cæſaris feliciter regnantis ſororem, matrimonio ſibi iunxit, viginti & vnius annorum curriculum emenſus. Ex hac liberos ſex ſuſcitauit, vtroque ſexu pares. Primogenitum ſibi cognominem, PHILIPPVM DOMINICVM VICTOREM, quem eodem Baptiſterio quo olim B. Dominicus, ſalutaribus vndis ablui, & eumdem nominis cognatione exprimere voluit, LVDOVICI XIII. Regis Chriſtianiſſi-
An. 1615. mi præſtantiſſimæ ſorori; illi ipſi verò, ANNAM filiam natu maiorem connubio tradidit: eoque velut adamantino coagulo, potentiſſima Chriſtiani orbis imperia connexuit, & amo-

amorem ſubditorum in ſoli & ſanguinis Principes firmauit. Succeſſio eſt quæ ius ſartum tectumque in Imperiis ſeruat, belliſque inteſtinis materiem ſubtrahit, neque infidæ competitioni locum eſſe ſinit.

Illud autem de PHILIPPO Rege nulla ætas conticeſcet, quâ ſolertiâ nuper ſuperſtites Maurorum reliquias totâ Hiſpaniâ abire iuſſerit, & ſupra ſexcenta millia in Africam, vnde venerant olim, relegarit. Quam rem vt altiùs repetamus, nouem propè ſæcula effluxerunt, quòd quinque Saracenorum Reges, plures Maurorum myriades in Hiſpaniam per mare traduxerint, eo animo vt Regna illa ſuo ſubiicerent imperio, & Chriſtiani nominis memoriam obliterarent. iamque Colimbriam, & alia loca violentâ manu expugnauerant, quando *Ferdinandus* Legionis Rex, *Rodericum de Biuar*, cognomento *Cidum Campiatorem*, cum exercitu ſubmiſit, qui Deo duce, in cuius manu omnium ſunt iura Regnorum, multitudine barbarorum hoſtium nihil territus, magnâ alacritate manus contulit; ac plurimis in captiuitatem abductis, aliis (quorum

Roderic. Sancius Hiſt. Hiſpan. l. 3. cap. 17.



rum numerum nemo facilè definiat) cæsis, Regibus quoque ad angusta redactis, illustrem victoriam reportauit, Afrosque totâ Hispaniâ eiecit. Fecerat hoc ipsum quoque
Lipf. in Exempl. Politicis. *Alfonsus*, quem *Aldefonsum* alij nuncupant, & post hunc *Carolus Magnus*, inclyti & sanguinis & nominis Principes. quorum exemplo, PHILIPPVS eam gentem id dudum agitantem, quâ ratione barbaris ceruicibus mitissimi Regis iugum excuteret, exciso intestino malo, finibus etiam suis proscripsit. Quis nunc sermone complectatur, quoties Oceanum, qui ditionum eiusdem non minima pars, piraticis excursionibus magno negotiatorum incommodo infestatum, immissâ classe, absque vllo prædonum occursu peruium præstiterit? Testis mihi *Arx Larasche*, arte & naturâ loci munitissima, frustrà à maioribus
*An.*1610. tentata aliquando, ante annos decem in potestatem suam redacta, imperioque adiecta. Quis pro merito eloquatur, quâ sedulitate, quo zelo, quantis opibus serpentem hæreticæ prauitatis pestem cohibuerit? eosque qui nouitiam Religionem irreligiosè inuehunt, &
vnâ

vnâ tenebrarum nocte excussa errorum dogmata in vulgus spargunt, quàm religiosâ seueritate represserit? Pietatem verò, quam magnum quæstum Doctor Gentium indigetat, 1. Tim. c. 6. tanto studio excoluit, vt nihil de auito Austriacæ gentis obsequio erga communem Deum, eiusque in terris Vicarium, & sacrorum Antistites vel administros, remisisse videretur. quin potiùs maiorum præclarè factis exardescens, id effecit, vt nisi CATHOLICI REGIS nomen, iam à *Reccaredo*, qui suffragio Concilij Toletani illud primùm meruit; ac dein *Aldefonso* & *Ferdinando* Regibus donatum, sibi hereditarium accepisset, id ipse sibi posterisque huius famâ virtutis peperisset. Et sanè quis est qui inficietur, magnitudinem & triumphos huic stirpi, ab eâ ipsâ, Sacrorum inquam, veneratione & tutelâ, sceptris Regnisque propagatos? Religio prolapsa Rempublicam etiam trahit, *& colentibus Deos*, ea T. Liuij prudens censura est, *prospera eueniunt*. Lib. 5. Audite quid in Lyricis suis Horatius:

DI multa neglecti dedêre
Hesperiæ mala luctuosa.

Dedê-

Dedêre, fateor: ſed tunc, cùm impiæ religiones in eâ ſuſceptæ, & ſuperſtitio indomitam regeret multitudinem. At poſtquam verâ Religione imbuti omnium animi, Regumq́ue deuotione permoti, Deo Diuiſq́ue debita obſequia impenderunt,

DI multa placati dedêre
Heſperiæ bona fructuoſa.

Denique nihil antiquius Rex PHILIPPVS habuit, quàm Pacis (maximum ea & diuinum bonum eſt) tuendæ ſtudium. Quòd namque Belgica tot cladibus attrita, feſſum bello latus annis XII. ſuſtulerit, Martemq́ue velut compedibus adſtrinxerit, illius etiam benignitati nos debere fatendũ eſt. O triumphum triumphis omnibus potiorem! Bellum tamen numquam ita detrectauit, quin ſi quis eò inſolentiæ procederet, vt iram indignationemq́ue eius mereretur, quaſuis vires illius potentiæ cedentes ilicò ſentiebat. Et ſenſerunt Byzantini tyranni Imperia non ſemel. Senſit nuper rebellis FERDINANDO II. quem pridem
An. 1618. ſolemni inauguratione Regem ſalutauerat Bohemia, & eidem Cæſari ac Principi ſuo obſiſtens,

ſiſtens, excitâ Proteſtantium & Caluiniani ſtigmatis toto orbe candidatorum factionibus Germaniâ, ſic vt tota pęnè Europa in partes traheretur; conferentibus illis certatim in vnum vires ſuas, vt *Frederico* Rheni Palatino Regium Bohemiæ, & mox Cæſareum diadema deferrent, quod per ſummum ſcelus Imperatori & Regi FERDINANDO auferre moliebantur. Verùm dum is, quod in Solis filio notat Ouidius, regia ſoceri Regis monita improuidè deſpicit, & ad oſtenſam purpuram iuueniliter reſpicit, interuênit PHILIPPVS, ſubuênit PHILIPPVS, arma & æs contulit PHILIPPVS. Cumque pro iuſtitiâ bellum ſuſciperetur, *cuius primum munus eſt, vt ne cui quis noceat niſi laceſſitus iniuriâ*; Cic. lib. 1. de Offic. illius exitus æquus cauſæ arbiter *Fredericum* deſtituit, bonis & patrio etiam ſolo exuit, FERDINANDVM reſtituit, & ablato ſuoque rurſus diademate induit: ac nouitium & paucorum dierum Regem, apud peſſimos ſuos conſulto- An. 1620. res, abſque Regno, ſolo adſcitæ maieſtatis nomine aliquamdiu (velut olim apud Bythiniæ tyrannum Hannibal) deliteſcere, & ignotis

Batauorum ſedibus vagari, ceu nutritium aliquem, compulit. Ambitionis hæc rota eſt. & vt flammæ infinita vis acrior, quò ex luculentiore incendio emicuit: ita illa, in magnarum dignitatum congeſtu collocata. Igitur quod Seiano Iuuenalis, Regi etiam, ſi Dîs placet, *Frederico* iure dixerim:

Sat. 10. *—— qui nimios optabat honores,*
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Porrò vt nihil in humanis rebus perenne, & velut orbis quidam orbi huic ineſt, celerique turbine mortalia verſantur, PHILIPPVM III. in puppi Chriſtianæ nauis ſedentem, altaque meditantem, ineunte nupero Martio (ô menſem feralem, & crebris funeribus atratum!) morbus pertinax deprehendit, vltimæque neceſſitatis iura præſcripſit. Quæ dum ille adeſſe ſentiret, omni curâ id egit, vt cogitatione in cælum defixâ, terreni Regni faſtigia deponeret. Expiatis igitur mediâ confeſſionis voce culpis, omnique vulnere, ſi quod animæ hærebat, *Ludouico D'Alyaga* ſpirituali ſuo Medico

dico (cuius ſuprà meminimus) detecto, crebrum de diſſolutione ſui corporis ſermonem miſcuit, & expeditum ad meliorem coronam iter præmuniri ſibi repetitâ precatione flagitauit. Aderat nouiſſimis ipſius etiam *Hieronymus à Florentiâ*, quem è ſublimi loco Dei verbum euangelizantem, magnâ alacritate per Quadrageſimam audiuerat. ad hunc ducto altè ſuſpirio non ſemel dixiſſe perhibetur: *O ſi viginti & duobus annis, quibus ampliſſima hæc Imperia fui moderatus, Deo & mihi, ab hominibus elongatus, vixiſſem!* Hærebat trunco Crucis ſibi oblatæ, & in eâ fixi Redemptoris pedes oſculo fouebat. lacrymarum imbre perfundebat, brachiis ſtringebat. Intulerant Sanctorum cum Deo regnantium reliquias viri religioſi, qui decertantem ſupremâ hac luctâ, & vocis pietate, & precum ſuffragio excitabant: quas ſimulac intuitus, venerari protinus, palmas extendere, patrocinia illorum, quorum eæ ſuperſtites erant, apud Deum, ad quem mox erat iturus, pio deſiderio poſtulare; ac incruenti etiam Sacrificij oblationem, ſuique memoriam ad Domini altare adſtanti-

 bus

bus refricare. Igitur pœnitentiâ purgatus, Viatico, quod consolationis Deus filiis suis in hoc ergastulo præstitit, roboratus, sacroque Oleo perunctus, primogenitum, quem sacrarum cærimoniarum inspectorem & testem adesse voluit, Regnorum potentissimæque Monarchiæ heredem instituit; ac benè illi precatus, suprema quædam mandata statim à suo funere exequenda, membranis concepta & obsignata reddidit, & cum his, Catholicæ Ecclesiæ, extra quam nulla est salus, tutamen, & ad omnia perutilem pietatem seriò commendauit: productaque Christi è cruce pendentis imagine, quam ab Imperatore *Carolo Philippus* pater, ab isto mnemosyni vice is acceperat, *Hoc*, inquiebat, *patris, aui, atauíque monumentum extremum cape: & mortalitatis memor, id vnum incunctanter age, vt Dei timore confixus, matris Ecclesiæ haud degener filius inueniare. exempla & monita maiorum habes. huc oculos mentémque aduerte. his si vitam instituis, hanc, & Imperium firmabis.*

Dixerat. Et ecce compositis iam omnibus, grassatus aliquamdiu per vniuersa corporis domi-

domicilia morbus, naturæ vires ita inceſſanter An. 1611.
& pertinaciter oppugnauit, vt eas mox fatali vltima Martij.
neceſſitate vrgente expugnaret. Siquidem ille
poſt crebras animi verè Chriſtiani ſignificationes, inter ſacrorum miniſtros, & ſalutares acclamationes, ad quas & oculos morte grauatos, & aures erigere viſus, extenuatum ægritudine corpuſculum putredini natũ (quod aromatibus condíri & exenterari cauerat, cùm illud non niſi maximi peccatoris ſarcinam diceret) terræ ſuæ, tumuloque parentum, in Eſcuriali; ſpiritum cælo, vnde venerat, & Deo qui creauit illum, beato fine reddidit; promiſſam fidelibus hereditatem, inſtructus meritorum quæ illius ſunt ſemen, manipulis exacturus. Vos, vt facitis,

— *manibus date lilia plenis*,

AVDITORES, dum

— *Relliquia, diuiniq; oſſa parentis*
Condantur tumulo; —

& deinceps nouam cæli imaginem, ignemque Deo vicinum, & in perpetuas æternitates coruſcum, mente vſurpate. Intereà, Rex PHILIPPE, manebit apud nos memoria tui, ma-

nebit honori tuo veneratio. Sed & nemo erit, cui improuisa mors tua, quâ recedentis æui incommoda præuenisti, immatura, ne dicam exitialis, rei Christianæ non æstimabitur; nisi & alterum PHILIPPVM iudicio tuo imperij heredem, exemplo Principem, voce successorem, singulari Dei beneficio nobis reliquisses. Hunc vt sub oculis tuis, quibus videntem omnia facie ad faciem vides, augustior currus excipiat, & se verum Christiani populi Rectorem, ad quem velut ad beneficum sidus omnes aduolent, exhibeat, omina & vota nostra pio adfectu conferimus. Tu patrocinium impende: & à nobis absens, in filio Principe, herede, successore, exemplo, famâ, virtute, laudandum, imitandum, & videndum te siste.

DIXI.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXI.

IVSTI RYCQVII
GANDENSIS, PRESBYTERI,
CIVIS ROMANI,

PIETAS,
IN FVNERE

PHILIPPI III.
AVSTRIACI,
HISPANIAR. INDIARVMQ.
REGIS POTENTISS.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

DOMINO D. IACOBO BOONEN

EPISCOPO GANDAVENSI,

ET

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI DESIGNATO,

PIETATEM HANC FVNEBREM DEDICO.

QVI nuper querulus esse cœperam, ILLVSTRISSIME DOMINE, in funere PAVLI V. PONT. MAX. BVRGHESII; vix manum de tabulâ, siue (vt Poëtæ nostri loquuntur) de citharâ leuâram; cùm ecce, qui vniuersum terrarum orbem, aures quoque meas acerbissimus rumor impleuit, PHILIPPVM III. AVSTRIACVM, CATHOLICVM HISPANIAR. REGEM, fato concessisse. qui sanè nuntius turbauit me, vti debuit, plurimùm. Duobus enim summis Principibus, R. P. Christianæ velut Tutelaribus, eodem tempore amissis, & tunc quidem, cùm ijs

maximè indigebamus, ad dolorem noſtrum nihil addi poſſe videbatur. Vnde, ſi Crœſi Lydorum Regis filij, muti aliàs, vocem rupit periculoſa barbari militis in parentem comminatio; nihil mirandum erit, ſi, dum Tu, VIR ILLVSTRISSIME, in Vrbe Regiâ, REGIS DESIDERATISSIMI FVNVS honoraſti; Chriſtiani orbis orbitate commotus, in voces luctuoſas, qui nuper ſilebam, eruperim. Eoque magis, quòd (vt in publicis miſeriis fieri amat) nemo ſit qui damnum hoc mecum non ſenſerit; plurimi, doloris communis acerbitatem priuatâ facundiâ euulgarint: quorum immortales gemitus ad ipſam Poſteritatis memoriam venturos non dubito. Mihi, vti in hac ingenij tenuitate arrogare nihil audeo, ita abundè ſatisfactum exiſtimabo, ſi Te, ILLVSTRISSIME DOMINE, teſtem, immò laudatorem, officioſæ PIETATIS habuero. Sufficit enim mihi ad AMPLITVDINIS TVÆ fauorem decurriſſe, quod aliorum fortaſsè nauſea non probarit.

Ex agro Diœceſis Tuæ Gandauenſis Waſiano, XVII. Kal. Quintil. CIↃ. IↃC. XXI.

AMPLITVD. T. ILL^MÆ

obligatiſſ. cliens

IVSTVS RYCQVIVS P. C. R.

IVSTI RYCQVII
GANDENSIS, PRESBYTERI, CIVIS ROMANI,
PIETAS,
IN FVNERE
PHILIPPI III.
AVSTRIACI,
HISPANIAR. INDIARVMQ. REGIS POTENTISS.



EPICEDION.



*Q*VÆ *tua, Regali Pietas circũdata busto*
Ossa amplexa fouet lacrymans, tenuí-que fauillæ
Imminet, & cineres arcanâ colligit urnâ,
Rore leui superinfundens, & thurea dona
Accumulās, noméq; tuum, DOMINATOR IBERVM

MAXIME, *ſæpe vocans; quantis ſingultibus illa*
Concutitur! quantum niueos expanſa capillos,
Pullatáſque trahens ingrato ſyrmate veſteis,
Ardet funerea ſpectacula triſtia pompa
Diſpoſitis ornare vijs! quàm fronde cupreſſi
Compita, & innumeris ornare Palatia tædis!
Quàm tua Progenies (ſi ſæcula priſca tuliſſent,
MANIBVS *erepti ſe deuotura* PARENTIS)
Inclyta Progenies, & viua Parentis imago,
Panchæas fruges, & odoris balſama lucis
Edita Niligenûm, tumulo ſparſiſſe paterno,
Accenſoſq; rogos Arabum perfundere meſſe,
Aut nimbis ſtudeat Cilicum! quàm gnauiter omnis
Quæ fuluo perfuſa Tago, quæ Batidos amne
Aurifero tellus, diteis ſcrutetur arenas
Vt patrio ſacri cineres tumulentur in auro!
Ipſa dehinc, roſeos fuſci qua Mennonis ortus
Spectat, & extinctos Nabathæi Hyperionis igneis
India, gemmanteis mittat ſtudioſa lapillos,
Ornamentum ingens cineri, Dominoq; ſepulcro.
Scilicet hoc meruere tui REX MAGNE *labores,*
Conſcius atque animus recti, Virtutis & altæ
Sectator, populiſq; vigil tibi cura regendis:
Hoc ingens Veri ſtudium, defenſaq; Diuûm

Relli-

Relligio, & bene culta Themis, moréſque pudici,
Atque inter caſtos generoſa Modeſtia mores;
Tu tamē, heu! prohibes: tua nota, PHILIPPE, *voluntas,*
Iuſſáque, queis dulceis ſupremo fœdere Natos
Stringebas, pia ne temerarent funera ſumptus
Immodici; *tantum populos preſſere dolentes,*
Quàm ſanctus properabat amor. ſatis ipſa laborat
Relligio ſeruare fidem: legúmque poteſtas
Nutat, vt extremis conſtet reuerentia dictis
Principis, & trepidos angunt promiſſa penates.
Non equidem lacrymis modus eſt iuſtóque furori
Impoſitus; iuuat inſanos haurire dolores,
Et mæſtos vlulare ſonos: iuuat ire per omneis
Mœſtitiæ cauſſas, totóſque impendere luctus:
Dignum eſt quod gemitur, nec inani munere currunt
Vndantes lacrymæ; dilectum Regna PARENTEM,
Non Dominum, non crudelem fleuere Tyrannum:
Qualem Delicias Orbis, Generíſque Fauorem
Humani gemuere TITVM: *quantúſque per omneis*
Luctus ijt, pius ille tuus cùm, Narnia, * CÆSAR
Occidit: Hiſpanâ vel qui prognatus in orâ
TRAIANVS, *Latijs Artaxata ſubdidit armis.*
Et grauis hinc poterat mærorum cauſſa videri,
Euboïca ſi fata ſenis, vel Principis annos

* COCCEIVS NERVA Imp.

Nelei-

Neleidæ implesses; media nunc flore iuuentæ,
Flos Regum, demesse iaces: iacet & tua tecum
Illustris Probitas, & nostri crimine sæcli
Integritas maior, multos victura priores,
Aurea quos viuis sculpserunt sæcula chartis.
Taliter vmbrosæ densa inter robora siluæ
Si procera stetit, nullâ temerata bipenni,
Sacra Ioui quercus, nodoso cortice nondum
Cincta, nec annosos expandens vertice ramos;
Sed virides elata comas, & nubila pulsans
Cæsarie, si fortè Iouis malus ignis ab arce
Dissiliit; vel crudeles strinxere secures
Agricolæ; trahit ingentem prostrata ruinam:
Hanc Dryades fleuere, hanc ruricolæ Siluani,
Delicias periisse suas: quam floribus vdis
Sæpiùs, appensis aut distinxere corollis.
Nec mihi tot claros Reges memorare voluntas
Auctores generis, Proauûmque extendere facta;
Laudentur proauis, & auita munere cara,
Quos nullus Pietatis honor, non aurea Virtus
Commendant, propria quibus est incumbere Fama
Subtractum à Superis. Tibi quamquam illustris origo,
Sanguis & ipse Ducum generoso à sanguine cretus
AVSTRIADVM, *terris quo non illustrior vllus;*
Ex

Ex te nomen eris. Poteras (si fata tulissent)
Principium esse domus, & magni stemmatis auctor
Nobilitate tuâ. Sapiens non atria iactat
Splendida imaginibus, nec ab ipso ducta Prometheo
Nomina, vel gemino quantum prorepsit ab ouo
Gente Terapnaâ Ledai sanguinis; vnum
Sollicitus, claris si fortè parentibus ortus,
Degenerem ne vita probet: vel cùm mala Parca
Nascenti inuidit, generis dispendia factis
Vincere, & è solidâ laudem Virtute parare.
At quamquam tua pacali radiaret oliuâ
Tuta domus, procul atque piâ Mars impius aulâ
Terreret gentes; nec te gaudentia castra
Vidissent pulcros ornatum casside crineis;
Si tamen impendens metus ad fera bella vocasset,
Ipse vel armiferas ardens scandisse carinas,
Fulmineósque igneis, sauíque pericula Nerei
Spernere, & hostileis ingenti cuspide terras
Concutere, aut rabidis poteras dux esse maniplis.
Sed meliore viâ placidam tibi fata quietem
Contulerant meritò, serâ dum nocte, diúque,
Numina placatis supplex aduolueris aris:
Dum tua votiuis surgunt donaria Templis
Plurima, nataleis seu quà Sol visitat arceis

Occiduus, seu quà reliquo suffunditur Orbi.
Inde gradu fluxere Tibi bona cuncta benigno,
Multaq; regnanti Superûm indulgentia fauit.
Vidit enim insonteis animos, sanctosq; labores
Egregij iuuenis, mordacis & integra culpæ
Pectora, & in medijs cælo fidentia curis;
Vidit, constanti qui lumine corda pererrat
Interiora Deus: sed magnos antè Monarchas
Inspicit, & tacitus regnorum examina librat.
Nec mirum: videt ille facem surgentis Eoi,
Emoriensq; iubar: Borealis frigora terræ
Lustrat, & egelido sudantia rura tepore:
Peruidet ille omne Mundi latus, ipsaq; Olympi
Nubila, & æquorei stagnantia dorsa profundi.
Ille & consilia, & mentem scrutatus, & aris
Supplicia acta pijs: ille intractabile pondus
Dilectis impostum humeris pietate ministrâ
Extenuans, magnâ curarum parte leuauit.
Hinc licet egressum terris haud sensit Iberis,
Afra tamen tremuit tellus, Pontiq; minacis
Regia, & armisoni gens horruit accola Rheni:
Hinc te victriceis mittentem in prælia turmas
Alpinus trepidauit apex, populiq; potentis
Ausoniæ, & gelidam regio quæ respicit Arcton:

Indo-

Indorumq́ alio posita sub sidere terra
Gentibus innumeris, Romana potentia quondam
Quas rerum dominis nequijt coniungere sceptris
Oceano fusas immenso, auóque priori,
CÆSARIS *auspicijs & Ibero Marte, retectas.*
Nimirum hoc fatis fuerat, Superûmque perenni
Firmatum arbitrio, tantas ostendere gazas
Non priùs, AVSTRIADVM *terris fatale regendis*
Quàm genus, his opibus regnoq́ ingente potitum,
Romanas Aquilas, Romanáque Sacra, potenti
Redderet auxilio, dirúmque auerteret hostem.
Tu facis, Augusta non infima gloria Stirpis,
Vt paßim Latios pandant Sacraria Ritus:
Romuleúsque tuo lætatus munere CÆSAR
Affinem Pietate probat: per te ipsa resurgunt
Imperij decora, patriúmque repulsus ad Istrum
Barbarus, Ausonias didicit metuisse secureis:
Tu facis, vt Batauûm gens dura, trucésq́ Sicambri,
Depositis belli exuuijs, odióque remoto,
Adsuescant iuga blanda pati: Tu, quisquis iniquus
Obstitit, obscurè vel aperto Marte lacessens,
Parcere consuesti potiùs, factísque benignis
Vincere, quàm fuso pœnam expetijsse cruore.
Nil tamen, heu! raris Clementia cognita sceptris,

 Nil

Nil Pietas, atque alma Fides, nil sancta iuuare
Relligio potuit, faustos quin dira penates
Stamina polluerent, trinaq; admorsa sorori
Licia tam pura violarent tempora vita.
Ergóne semper erit, mortalibus optima quaque
Vt rapiat suprema dies? vt liuida fata
Irrumpant quacumque magis potuisse nocere
Crediderint? raptâ non pridem coniuge fleras,
Tristis vt Eurydicen solas ad Strymonis vndas
Odrysius fleuit vates: & coniuge tali
Quid Diui valuere magis tribuisse pudicum,
Quid formâ par atque fide? tamen hanc quoq; Parca
Sustulerat. nec visa satis tribuisse furori,
Aut scelerum complesse minas; iuuat altera tela
Stringere, & orbati consortia perdere lecti.
Nî magis hoc Patri Diuûm, sanctísque peractum
Cælicolis, vt quà cæli super ardua Templa,
Inclyta progenies Diuûm REGINA, *triumphans*
Ingreditur, pedibúsque terit mortalia fata;
Reddaris REX MAGNE *Tua: castósque Hymenæos*
Purpureos inter repetas lucentior igneis.
Illic te roseis amplexum blanda labellis
Excipiet: iámque aut cæli laquearibus aureis,
Fulgida quà puro collucent lumina Mundo,

Aut

Aut fortunatos ſpatiatum ducet in hortos
Elyſij nemoris, ſedes vbi longa priorum
Spectatur generoſa Ducum, cognatáque Regum
Agmina, & emeritæ capiunt Virtutis honorem.
At quacumque poli lætus regione vagaris,
Sis felix ſoſpéſque tuis, ſis ſidus amicum
Gentibus, & noſtri releues contagia ſæcli.
Sit gratum tibi Vatis opus, ſint carmina grata
Flebilis obſequij: Muſæq; inuictæ ſuprema
Munera, & Aonium non dedignare ſepulchrum.

REGIS CATHOLICI
POSTREMA VERBA
AD
FILIVM HEREDEM.

SVPREMA *vitæ contrahens ſuſpiria,*
Oculóſque morte prægrauatos ſentiens
Princeps Iberûm, ſic PHILIPPO *filio*
Fertur locutus: Nate, Patris gloria,
Decúſque ſummum, ſic tua prudens reges
Vitæ tenorem, morte ſi doctus meâ
Humana cuncta vitream bullam putes,
Fumúmque inanem, ſomnium, atque fabulam.

Illúdque summum Regio sceptro datum
Ius esse credas, quidquid horâ in vltimâ
Malis peractum. Dulcis est sceptri decor,
Dulcísque regni purpura; infelix tamen
Suum tenere stulta quæ nescit modum,
Et fræna blanda laxat impotentia,
Legis supremæ, & sortis humanæ, immemor.
Cùm pœnitendo mens onusta crimine
Regis Tyranni, quæ pauere noluit,
Vitæ sub ipso iam tremiscit exitu:
Heu sæpe serò, sæpe iam frustrà gemens,
Suæq; tandem infirmitatis conscia.
Ille ergo Regnis lenis vt parens suis
Praesse discet, qui sibi ipse regula
Modestia imperârit ac Clementiæ:
Reges in ipsos imperare cælitus
Credens Tonantem, fas nefásque qui videt,
Ferétque digna consciorum præmia.
Hunc tu verere: Patriæq; gloriæ
Heres fidelis, hanc tibi summam putes
Iniuriarum, quin & hanc vnam putes,
Illata siqua factione ab impiâ
Sacris auitis Numinique contigit:
Hanc persequare vindice vsque dexterâ,

Hanc

Hanc ferro & igni, cùm necesse, excidito.
Sic semper aquam cælitis fauentiam
Habebis aulæ: sic tuas numquam preces
Auersus aure spernet iratâ Deus:
Sceptrísque vindex aderit, & tutor, pijs.

ALIA EIVSDEM REGIS VERBA
AD IMAGINEM
SERVATORIS CRVCIFIXI.

HANC *vitam, hanc animam, hos moribundi corporis artus*
Aeternùm obsequiis offero, CHRISTE, *tuis:*
Hoc sceptrum, hoc miseræ Regale insigne tiaræ
Sacra tibi, Regum maxime Rector, habe:
Scilicet hoc cunctos super est vixisse beatos,
Cum Domino placide commoriente mori;
Scilicet hoc cunctos super est regnare potentes,
Imperium ad dios deposuisse pedes.

EIVSDEM MODESTIA
BALSAMO CONDIRI CORPVS
VETANTIS.

QVOD *tua Achæmenio condiri corpora costo,*
Tincta vel Assyrio rore sepulcra vetas,

Magne PHILIPPE, *istâ nihil est ratione negatum*
Funeri; & officiis nil perit inde tuis:
Nam quæ Virtutum fragrantia summa tuarum est,
Balsama, & Assyrij vincit honoris opes.

EPITAPHIVM.

QVI *cunctos gazâ superauit diuite Reges,*
Cui nemo insigni par Pietate fuit:
Decolor extremis cui paruit India terris,
Qui nutu impleuit Solis vtramq; domum:
AVSTRIADVM *flos, & Regnantum gemma,*
PHILIPPVS,
Marmore in exiguo puluis & vmbra iacet.

DIVITIÆ SALVTIS SAPIENTIA.

Imprimi poterit.

P. Coens Canonicus Antuerp.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXI.


LABORE ET CONSTANTIA